



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Svcqvet E Societate Iesv Via Vitæ Æternæ

Sucquet, Antoine

Antverpiae, 1630

Meditatio pro vitio extirpando

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54856)

*Meditatio pro vitio generatim hac esse
potest.*

COMPOSITIO LOCI. Considera, hominem huic vitio obnoxium, indè Christum vel D. Virginem, aut Sanctorum aliquem coram Deo istâ contrariâ virtute ornatum.

PUNCTVM I. Vitii naturam & causas, quod ejus ob-
jectum, quæ origo, quis finis (brevissima scilicet voluptas) considera. Secundò, ejus gradus veluti ad infernum tendentes, & in quo tu sis. Tertiò, sceditatem illius ex naturâ ipsâ, quia pugnat cum ratione naturali, hominemque dedecet. Quartò, occasiones ejus, quàm frequentes; quamque stolidum, cum quis ex iis summum & æternum præmium colligere possit, damnum facere; vel bonum ommittere, quod numquam recuperari possit. Quintò, considera quod vno heroico actu sæpè abundantia gratiæ acquiratur; & contrà, si quis occasiones respuat, etiam gratiâ quâ jam uti potest, fortè omninò privandus sit, immò salute. Sextò considera, ommittere occasiones, esse præbere & augere hosti vires, quem sine iis experti sumus esse fortiozem. & certè si aliquando superare te velles, cur non modo? Septimò, vide signa vitii, an in te sint, ut tibi non blandiaris.

*Vitii natura
&c. consideranda.*

*Occasionem
virtutis respiciendo, aliquando etiam salus amittitur.*

Hæcine vera, ut sup. pag. 7.

PUNCTVM II. Considera incommoda gravia ex vitio manantia; Primò, temporalia; Secundò, spiritualia, & impedimenta salutis ac perfectionis, id est, summi boni; Tertiò, quanta ex eo sequatur animi perturbatio. Secundò, considera sententias graves sacræ Scripturæ, Sanctorum, Sapientum, commune judicium bonorum omnium, & quid regulæ tuæ ac vivendi institutum à te flagitet. *Hæcine vera, ut sup. p. 7.*

*Incommoda
vitij vide.*

PUNCTVM III. Considera Primò, exempla quibus detestatio vitii appareat, ex sacrâ Scripturâ, historiâ sacrâ & Sanctorû, civili vitâ, itè familiaribus, & vitâ cõmuni

*Exemplo al-
terius sape.*

hominum, quâ vitio illo N. infectos pœnâ, quo contrariâ virtute præditos, præmio dignos astiment. Secundò considera, quàm placeat hoc vitium diabolo, & quo pacto per vitium veneno voluptatis, mortem propinet; quòd si habeas, sit fastidio; si desideres, inexplebili desiderio & inquieto te cruciet. Tertiò considera, si in hoc te mortificaveris, Deum ab alterâ parte quasi coronam, & ineffabile gaudium pollicentem; quia gaudium virtutis opus sequitur, tam in hâc vitâ, quàm in futurâ: & quàm stolidum hosti credere potius, quàm Salvatori amantissimo. Quartò considera, quid amico hâc in re consuleres, & in morte fecisse optares, &c. *Hæcine firma fide, &c. ut sup. pag. 8.*

Meditatio pro virtute acquirenda.

*Quid sit
virtus.*

PVNCTVM I. Considera, virtutem nihil aliud esse quàm habitum, quo animus hominis sanatur, ac velut cæcus illuminatur, claudus ambulat: & quandoquidem hâc in corpore ita optemus, quantopere ea in animâ optare oportet. Secundò quòd sicut se homo à vitiiis corporis, v.g. cæcitate, curare non potest, ita nec ab ullo vitio animæ sine Dei singulari gratia, quidquid adhibeat remediorum, &c. cùm omnia tantùm operentur quantum illis tribuit Deus: ideoque totum illi tribue. Tertiò, cogita triplicem esse virtutem, Politicam, Hypocriticam, & Veram. Et quæ hæc? quæ sincerè Deum amat, eique verè placere studet, quâ animâ se ornat, ut velut sponsa sponso placeat. Hunc finem habe ob oculos positum, huc toto pectore aspira.

Effectus virtutis, &c.

Credo tibi, &c. ut supra pag. 7.

PVNCTVM II. Considera virtutis naturam, effectus, causas, finem, gradus; hi autem sunt. Primò, propositum acquirendæ virtutis; Secundò, fortitudo aduersus tentationes & difficultates; Tertiò, delectatio in usu virtutis. Attende etiam, quid in intellectu, quid in voluntate, quid in externis, & operatione efficere soleat, & quomodo